

Laboris & Conatus. Peccare me lubens fateor, qui titulo Disputationis Inauguralis indigna profero, Verùm ignoscentiam & veniam mihi ipsi ab omnibus polliceor, quibus nota mea non levia impedimenta. Ut tamen & hæc qualis qualis *Transmissionis* materiæ delineatio fiat feliciter, considerabo TRANSMISSIONEM & *Constituendam*, & ut *constitutam*. *Constituendam* tum in genere, tum in specie. In specie definitionem per *causam efficientem, subjectum, objectum, formam, & finem* uberius explicando. *Constitutam* contemplanor & ratione effectus, & ratione dissolutionis, seu quomodo impediatur, extinguatur.

POSITIO I.

TRANSMISSIONEM constituendam, ut dixi, considerare mens est, & generaliter & specialiter. Illo modo in definitione sua, quæ vel est Nominalis, vel Realis. Illa iterum est triplex: Etymologica, Æquivoca, & Synonymica.

2. De illa, cum in aprico sit, dicere aliquid Domitianum esset, ideoq; præstat de ea tacere, quam proferre:

Prendere quæ possis oculorum lumine aperto.

3. Ista verò indagine solertiore digna erit: Quocirca notandum est, Voculam Transmissionis accipi quadrupliciter; Latissimè, Latè, Strictè & Strictissimè. Primò modo acceptum nostrum vocabulum quamcunq; significat translationem, quæ fit ad quoscunq; quocunq; modo. Ita literæ diuntur transmitti, & quæcunq; res. Ita etiam populus Romanus potest dici omne suum imperium & potestatem in principem transmississe, b. e. contulisse. L. 1. D. de Const. Princ. vel concessisse §. 6. de jur. natur. Gent. & Civ.

4. Latè sumitur Transmissio & pro transitione naturali, qualis est nobilitatis & generis splendoris, per natales facta transfusio ac propagatio. L. 3. C. de Commerc. & Merc. & pro transitione vel Translatione conventionali, qualis est in Nov. 7. cap. 3. ubi per pactum Emphyteusis Ecclesiastica transmittitur ad Nepotes.

5. In stricto significato accipitur vocula Transmissionis pro Transitione, & Translatione cujuscunq; rei, quæ fit jure concedente à defuncto in heredem, sive sit hæres extraneus, sive suus; Atqui ita

acce.